1806

Post cuius assignationis in Acta ingrossationem Originale eius offerenti per Officium praesens extraditum est.

Lapinski Pakoszowi donat

Comparens personaliter coram Officio et Actis praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premisliensibus Gene-

752 rosus Thomas Lapinski, sanus mente et corpore existens, a Terris, Districtibus, Iuribus, Iurisdictionibusque suis quibusvis propriis et competentibus recedendo, praesenti vero Castrensi Capitaneali Premisliensi Iurisdictioni quoad Actum hunc attinet se, cum Successoribus ac Bonis suis generaliter omnibus totaliter et plenarie incorporando atque subiciendo palam libere, publice, ac per expressum recognovit. Quia ipse Bona sua propria et haereditaria infrascripta, se Recognoscentem post fata Parentum suorum olim Generosorum Pauli Lapinski et Annae Grobicka Coniugum legitimorum vigore Iuris naturalis concernens, videlicet certam sortem, portionem et interesse sui concernens, Rola Wolkania-kowska dicta in Villa Bienkowa Wisznia Terra et Districtu praesenti Premisliensi iacens et consistens cum omni praemissorum Iure, Dominio, proprietate, haereditate titulo que haereditario, cumque omnibus et singulis Bonorum eorundem Utilitatibus, fructibus, proventibus, reditibus, commodis, emolumentis, et obventionibus quibusvis, attinentiisque et pertinentiis generaliter universis, Nihil ex praemissis Iuris, Dominii, proprietatis, haereditatis, aut cuiusvis competentiae et praerogativae pro se Recognoscente Suisque Successoribus, aut quopiam alio reservando seu excipiendo, verum ita late, longe, circumferentialiterque

prout præfatorum Bonorum hæreditas, seu in suis metis et limitibus, ab antiquo extendit et protenditur, et prout eadem Bona ipsemet Recognoscens tenuit, habuit, et possidebat, ipsumque concernebant ac eidem legitime serviebant, Iam ex nunc et de facto Generoso Stanislao de Vlaszowice Paliosz eiusque Posteris dedit, donavit, inscripsit et resignavit, prout dat, donat, actitulo puro, mero, perpetuo, ac irrevocabilis donationis inscribit et resignat perpetuo et in aevum irrevocabiliterque. In quæ quidem Bona præsentibus donata et resignata, idem Recognoscens Generosus Thomas Lapinski prænominato Generoso Stanislao de Vlaszowice Paliosz Donatario suo, eiusque Posteris iam ex nunc et de facto coram Officio præsenti dat et admittit realem Intromissionem et actualem pacificamque Possessionem per Ministerialem quemcunque competentem et Nobiles duos, Die quacunque voluerit efficiose acceptandam. Per ipsum Generosum Stanislaum de Vlaszowice Paliosz Donatarium suum, eiusque Posteros, hac eadem Bona præsentibus donata, cum omni Iure, Dominio, proprietate competentiaque et prerogativa quavis, tenendi, habendi et possidendi, illisque quiete et pacifice utifruendi, ac ad suos, suorumque successorum quosvis beneplacitos usus fructus libere, et effectualiter convertendi perpetuo et aeternis temporibus. Debetque et tenebitur memoratus Recognoscens Generosus Thomas Lapinski, prout se ac suos Successores in et super

1808

Bonis suis generaliter omnibus Summisque quibusvis pecuniariis habitis et habendis supra scripto Generoso Stanislao de Vlaszowice Laboß Donatario suo inscribit et obligat praesentibus ipsum et eius Successores in dictis Bonis praesentibus donatis et ratione eorundem omnium ab omni et quavis impetitione iuridica quarumcunque personarum cuiuscunque conditionis status et sexus Eiusvis existentium ex occasione suprascriptionum modo quovis exorienda per omnes praetensiones Terrestres prout ad quamlibet personam Terrestris spectat et pertinet praescriptio in omni Iudicio et Officio Regni semper totiesquoties opus fuerit tueri defendere, evincere intercedere, et eliberare indemnesque Posteris reddere, necnon Bona praefata praesentibus resignata ab omnibus in genere Iuribus et Inscriptionibus prioribus et posterioribus super eisdem Bonis praesentibus per se Recognoscentem donatis cuicunque personarum modo quovis factis et faciendis, tum etiam a quibusvis Citationibus super eadem Bona praemissaque omnia praesentibus resignata importatis et importandis Lucris denique et Perductis Processibusque Iuris qualibusvis in quocunque puncto et gradu Iuris dependentibus et in quovis Iudicio et Officio Regni obtentis et obtinendis ac super praemissis omnibus praesentibus resignatis modo quovis perductis et perducendis emundare et eliberare, mundaque et libera semper facere, ac etiam Intromissionem praefatam coram Officio praesenti admissam in fundo Bonorum praefatorum praesentibus resignatorum dum per Ministeriale et Nobiles duos Officiose requirentur non denegare

imò debebit et tenebitur eandem libere dare et effectualiter admittere, dataq et admissa eadem, Possessionem et usus fructum præmissorum omnium et singulorum quovis modo tam per se, quam per suas quasvis submissas et subordinatas personas non præpedire nec adimere. ipsumq Generosum Stanislaum Pałosz Donatarium suum, ac ejus Successores in dictis Bonis præsentibus resignatis tam in toto, quam in quavis minima parte non inquietari, ita ut eadem Bona, cum universis eorundem Utilitatibus et usufructibus iisdem Donatarius suus cum suis Posteris quiete et pacifice præsentis Inscriptionis Donationis vigore tenere, habere, et possidere queat, iisque uti frui possit perpetuo et in ævum irrevocabiliterque. Idque sub Damnis Terrestribus simpliciter absque corporali Juramento taxandis et exigendis, per eundem Recognoscentem Generosum Thomam Lapinski vel eius Posteros, Suprascripto Generoso Stanislao de Vlaszowice Pałosz Donatario suo aut illius Posteris, ob non completionem præmissorum omnium et singulorum tam in parte quam in toto toties quoties opus fuerit ad solvendum succumbendis. Pro quibus quidem damnis Terrestribus simpliciter taxatis modo præmisso ad solvendum succumbendis, ac pro re aliqua principali ex præmissis non completa complenda. Citatus existens memoratus Recognoscens Generosus Thomas Lapinski, sive eius Successores, ad instantiam præfati Generosi Stanislai de Vlaszowice Pałosz Donatarii sui, vel eius Posterorum ad Officium præsens Castrense Capitaneale Præmysliense, ex tunc recessu suprascripto, quo ad respondendum spectat mediante, semper in primo Citationis Termino tanquam peremptorio stare, Juri parere, respon-

lere, Damna praefata Terrestria simpliciter taxata
Luere Inscriptioni praesenti satisfacere, ac omne iudi-
catum pati debebit et tenebitur, seque ac suos Successo-
res ad eadem omnia inscribit et obligat praesentibus,
illum Terminum primum peremptorium et alios omnes exin-
de consequentes Causa eiusdem Terminos semper perem-
ptorios, extra infirmitate, pro maiori minorennitate
Successorum, legatione intra vel extra Regnum servitio
militari, ad munimenta ad Exercitum, vel aliis quibusvis
Dillationibus et Legalibus impedimentis non differendo.
ad quietationem praeterea ultra proximos Officii prae-
fati Castrensis Capitanealis Praemisliensis Terminos
Dillationem sibi non recipiendo nullasque illationes
Appellationes, ac earum prosecutiones faciendo, ac
praemissa omnia Poenis simplicibus vel triplicatis, Evasionibus,
Suspensionibus, fatalis Iuris praescriptione Ter-
restri, bello, Conventioneque, ac aliis omnibus Iuris re-
mediis et defensis non subterfugiendo, nec quomodo alio
quouis euadendo. Hac sua praesenti personali Recog-
nitione ad praemissa omnia mediante.

Hanska Stadnickim Coniugibus, vigore consensus Sacrae Regiae Maiestatis cedit.

153 Comparens personaliter coram Officio Actisque prae-
sentibus Castrensibus Capitanealibus Praemisliensis
Generosa Anna Hanska, Generosi olim Gaspari
Hanski Consortis derelicta Vidua, sana mente et corpore